

Heinrich Rahn Johann Bünting

Sub Praesidio Amplissimi, Consultissimi Ac Excellentissimi Viri Dn. Henrici Rahnen ... Dn. Praeceptoris Sui Summa Observantia Colendi, Dissertationem Hanc Iuridicam De Scientia Et Ignorantia Publice Tuebitur Johann: Bünting/Hannoveranus Ad D. XIV. Aprilis

Rostochii: Kilius, 1649


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732586569>

Druck Freier  Zugang



Wissen und Urwissen

H. Rahne (J. Dünning) ^{Vert.} /c
R. U. um 1649



CHRISTO REDEMTORE
 AUSPICE
 SUB PRÆSIDIO
 AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI
 AC EXCELLENTISSIMI VIRI
 DN. HENRICI Rabnen/
 JCTI ET PROFESSORIS
 PUBLICI.
 DN. PRÆCEPTORIS SUI
 SUMMA OBSERVANTIA
 COLENDI.

DISSERTATIONEM HANC
 JURIDICAM
 DE
 S C I E N T I A
 ET IGNORANTIA

PUBLICICE
 T U E B I T U R
 JOHANN: Bunting / HANNO-
 VERANUS
 AD D. XIV. APRILIS.

☉(o)☉
 ROSTOCHII,
 Typis NICOLAI KILH, Acad. Typogr.

ANNO cto 10c 1L.

CHRISTO REDENTORI

A. H. P. I. C. E.

S. P. R. A. S. I. D. I.

MA. I. M. A. R. I. A. C. O. M. M. U. N. I. C. A. T. I. O. N. I. S.

DR. HENRICI S. O. G. G. I. N. I.

JOH. ET P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S.

P. U. B. L. I. C. I.

DR. P. R. A. E. C. E. P. T. O. R. I. S. S. I. I.

S. U. M. M. A. O. B. S. E. R. V. A. T. I. A.

O. S. T. I. A. D. I.

D. I. S. S. E. R. T. A. T. I. O. N. I. S.



S. C. H. L. E. I. A.

ET I. G. N. O. R. A. N. T. I. A.

T. O. R. L. I. G. E.

T. E. S. T. I. S.

JOHANNES S. M. M. H. A. N. N. O.


V. E. R. M. A. N. N.

S. O. C. I. E. T. A. T. U. S.

P. O. S. T. O. R. U. M.

DR. WILHELMI K. E. M. M. E. R. I. C. I.

1770



ΕΥΝ ΘΕΩ,

DISSERTATIONIS JURIDICÆ
DE
SCIENTIA
ET
IGNORANTIA

THESIS I.



Nullam Remp. sine Legibus commodè posse gubernari apud omnes est in confesso, adeoq; scitè admodum ab Aristotele i. *Rhet.* 4. *vers.* 22. dicitur, ἐν τοῖς νόμοις ἐστὶν ἡ σωτηρία τῆς πόλεως. Verùm illæ Leges cùm generalia tantum sint præcepta, quæ in societate civili observanda proponuntur, hinc fit, ut necessariò desiderentur qui singulis casibus jura applicare norint. Fieri etenim nequit, ut omnibus factis jus expressè sit adscriptum, tum quòd conditio Legislatoris, utpote hominis omnesq; casus unquam eventuros prospicere non valentis, id minimè ferat; tum quòd ipsi casus tantis sint mutationibus obnoxii, ut minimâ sæpè varientur circumstantiâ, quâ itidem jus diversum reddi constat. Ut itaq; hicce Legum defectus suppleatur, necessaria est Jurisprudentum interpretatio, qui probè perceptis omnibus circumstantiis ex solidis Jurisprudentiæ ac non rarò Philosophiæ activæ principiis modò restringant, modò extendant Legem, eamq; ita explicent, ut & præsentis facti congruat, nec unquam à mente decedat Legislatoris, quo observato rectè ex Ulpiani *in l. 1. §. 1. de j. & j.* sententia, Jcti veram Philosophiam, non simulatam affectare & profiteri dicuntur.

II.

Inter illas autem circumstantias non postremum sibi vendicant locum, quæ ex scientia & ignorantia oriuntur: Quantum enim discriminis inde Jus sumat, vel moralis Philosophus nos docere potest, & Jctus

A

idem

idem ut plenius explicet est occupatus. Dignum itaq; nobis hocce visum est argumentum, quod publicæ disquisitioni exponatur, quodq; per omne penè Jus diffusum paucis, quoad ejus fieri potest, includatur thesibus.

III.

Scientiæ verò vocabulum varias induere significationes, tam est notum quàm quod notissimum, Nec Jcti tantum, sed & Philosophi variè id accipiunt. De his non anxie erimus jam solliciti, sed ad ea quæ propiùs huc spectant properabimus. In Jure autem interdum solam rei denotat notitiam: non rarò præter illam & patientiam significat, quomodo accipitur in actione Tributoria. Si enim dominus vel pater sciverit servum aut filium in merce peculiari negotiari, nec protestatus fuerit, inde tenetur *l. 1. §. 2. & 3. de tribut. action.* Non autem hic voluntas requiritur, ceu Jctus *ibidem* disputat, cum non velle sed non nolle dominus patèrve debeat. *Jung. l. 7. §. 11. de SC. Maced.* nonnunquam cum notitia & patientia etiam voluntatem, ut in actionibus noxalibus, ubi is habetur pro sciente, ad illum scil. effectum ut teneatur, qui cum prohibere potuisset non prohibuit *l. 3. de noxal. action.* Hincq; ita loquuntur Leges: Scientiam hic spectari quæ habeat & voluntatem *l. 1. §. 1. si famil. furt. feciss. dic.* Scientiam accipi cum consilio *l. 4. de noxal. act.* ideoq; non teneri dominum, si ad libertatem servus proclamans sciente eo quid fecerit, vel si dominum contemserit, quippe cum hisce casibus culpâ vacet *l. 50. de R. J. l. 109. eod.* Et illa voluntas à Dd. vocari solet implicita, tacita & conjecturata.

IV.

Alia voluntas est expressa, de qua ex præcedente tractatu constat, quæ itidem voce scientiæ indigitatur. Exemplum est *in l. 5. C. de locat. & conduct.* ubi dicit Imp., inducta in fundum sive prædium rusticum voluntate, id est, expressâ conventionione domini (falsa enim est communis Dd. opinio, quòd illata & inducta in rusticum, æquè ac urbanum prædium sint tacito pignori supposita) pignoris jure teneri: in inductis verò in prædium urbanum scientiam, i. e. expressam voluntatem seu conventionem haud esse necessariam.

V.

Amplius adhuc quid idem videtur vocabulum comprehendere in *l. 10. pr. & §. 2. quæ in fraud. cred.* quando is demùm pro sciente habetur, qui fuit conscius & particeps fraudis, Dein sumitur etiam pro habitu

bitu mentis, ut cum Jurisprudencia dicitur Scientia: quod improprie fieri omni caret dubio, & pridem expofus est Petri Gilkenii error, qui proprie dictam Scientiam hancce disciplinam esse conatur *peculiari hac de re edito tractatu* evincere, quod tamen vel solo Jurisprudencia nomine confutatur. Eundem quoque errorem Barthol. Chaffanæus errat, *in catalog. glor. mund. part. 10. consider. 18.* repræhensus ab Angel. Mattheac. *de via & ration. jur. lib. 1. c. 8.* Denique & illa significatio (plures n. adferre nihil attinet) notari potest, quâ accipitur pro credulitate *in l. 2. §. 2. C. de jurejur. propt. calum. dand.* ubi is ex animi sui Scientia dicitur jurare, qui quod credit & existimat jurat, licet veræ causæ natura alia forsitan est. Nobis hoc loci sit Scientia cognitio rei, cum omnibus qualitatibus & circumstantiis.

VI.

Divisiones Scientiæ in Jctorum commentariis variæ reperiuntur: Sunt qui eam in Eminentem, Mediocre[m] & SuffICIENTEM dispescunt, quæ tamen distinctio ad nostrum scopum nullatenus pertinet. Eminentem autem Philipp. Decio *ad c. cum in cunctis. 7. num. 13. extr. de election. & elect. potest.* dicitur illa, per quam quis scit difficillimas quæstiones explicare & definire sine revolutione chartarum. Mediocris verò, quando cum revolutione chartarum. Sed considerandum est, *inquit*, quòd quando quis posset illud facere sine revolutione chartarum, diceretur eminentissima Scientia, ut vix esset possibile in hominibus invenire, cum infinitæ quæstiones possent occurrere; & idè hoc non videtur esse in consideratione, quod vix reperiri potest *arg. l. nam ad ea. ff. de LL.* Unde habito respectu ad id, quod communiter contingit, eminentem videtur Scientia, quando quis sciret, etiam cum revolutione librorum, omnes quæstiones difficiles resolvere: aliàs esset dicendum, quod nec Joann. Andræ. nec Bartol. nec Bald. & alii Dd. qui famosissimi fuerunt, quod eminentem non habuissent Scientiam, quod non videtur dicendum. Sufficiens verò Scientia dicitur secundum qualitatem officii & beneficii.

VII.

Insignis Jctus Joann. Baptista Costa *tract. de facti scient. & ignor. inspect. 63 n. 2. & seqq.* docet, Scientiam considerari in genere, in specie, & in individuo. Scientia in genere, sive generalis & simplex sufficit, quando requisitio & notificatio non est de forma: Exemplum ponit in subreptionis vitio tollendo, ad quod sufficit concedentis Scientia generalis,

ralis, quando concedens saltem in genere scire potuit, quod tacite inest: neq; enim omnis subreptio vitiat rescriptum, verum illa duntaxat, quæ Principem ad concedendum reddit difficiliorem *c. super literis. & c. postulasti. de rescript.* Vid. citatus autor *rubr. communia utriusq; & c. reg. 2. n. 9.* Scientia in specie requiritur, ubi pro forma debet dari notificatio, ubi scientia cum omnibus suis qualitatibus exquiritur, ut aliquid perfecte intelligatur. Exemplū est in emtore rei alienæ vel obnoxiz, qui habet contra venditorem regressum de evictione, etiam si juris alieni vel servitatis habuerit scientiam in genere, cum ad illum excludendum exigatur scientia in specie. At de scientia in individuo adferri potest exemplum, puta, cum agitur de gravi alterius præjudicio; & in materia sententiarum, quando statutum intimationem decernit victo faciendam; nam non sufficit scientia etiam plena & nitida aliunde conquisita, ob peccatum in forma, nec sententia minimè intimata in forma authentica transit in iudicatum. Hæc laudatus nobis Autor.

II X.

Dispicitur porro in Scientiam Juris & Facti. Illa est, non ignorare quicquid legibus promulgatum aut moribus receptum est: Et ad hanc scientiam regulariter omnes tenentur *l. 9. C. de LL. l. 12. C. de I. & F. l.* ceu dicitur inferius. Hæc, quid contigerit habere cognitum.

IX.

Tandem dividitur in Veram & Præsumtam. Illius exempla varia in jure occurrunt. Nam ut conditio indebiti impediatur, omninò vera requiritur scientia *l. 1. in fin. ff. de condit. ind. l. 9. C. eod.* quæ si adest, aded cessat repetitio, ut ne tum quidem, cum eâ mente, ut repeteret, quis solvit, locum habeat *l. 50. ff. d. r.* quippe cum donandi adfuisse animus præsumatur *l. 53. de R. J.*

X.

Eadem scientia & in jure Protimiseos requiritur, ad cujus formam pertinet, ut vendens si ritè alienare & retractus periculum evitare velit, proximioribus obnunciet venditionem ejusq; verum pretium. Th. Lindem. *in exeg. constit. Frider. de jur. Protim. c. 3. tb. 2.* Præsumta autem hîc scientia haud sufficit, sed certam plenamq; notitiam eos habere oportet, qualis oritur ex insinuatione instrumenti ac modis similibus: Aliàs enim, si solam audiant venditionem, vel ab alio prædium avitum possideri videant, scientiam autem venditionis ejusdemq; qualitatem non habent,

habeant, ob lapsum temporis, quod huic juri est præstitutum, ab hoc beneficio non excluduntur, cum potuisset esse venditio conditionalis, vel ad certum tempus, vel ad vitam tantum; vel ignorare potuere agnati, an alius proprietatis jure, an verò aliter possideat.

XI.

Cum verò scientia, maximè si facti sit, non adeò semper probari queat liquidò, idèc haud est infrequens, ut lex præsumptione quadam eandem inducat, modò ejusmodi adsint conjectura, quæ scientiam verò similiter arguere possint. Hæ verò desumuntur vel (1.) ex qualitate personarum: sic facta conjunctorum conjuncti *l. 9 §. 1. ff. und. cognat. l. 7. C. de in integr. rest. min. vicinorum vicini c. 7. extr. de præsumt. l. 9. C. de nupt. l. 55. pr. ff. locat. domesticorum domestici l. 3. §. 6. C. de repud. &c.* scire præsumuntur. Quorum limitationes addere jam ratio instituti haud patitur.

XII.

Pari ratione is, qui cum alio contrahit, non ignarus esse præsumitur conditionis ejus *l. 19. pr. de R. J.* Quòd si verò quis reperiatur, qui contractum initurus ante non probè inquisierit in eam, non est quod damni nomine queratur, sed negligentia id potius suæ ferat acceptum. Exemplam suppeditat *l. pen. de SC. Maced.* ubi qui filios mutuam credidit pecuniam SC. exceptionem hac replicatione regulariter elidere nequit, quòd nesciverit eum esse filiumfam. Idem juris obtinet in eo, qui fidejussorem minus idoneum semel admisit, hunc enim postea nullatenus repudiare fas est, sed sibi, qui prius facultates ejus diligentius non est expiscatus, id imputare debet *l. 3. in fin. de fidejuss.* Sic quilibet patrimonii vires aut rerum suarum valorem scire præsumitur *l. 15. C. de Resc. vend.*

XIII.

Vel (2.) ex lapsu temporis præsumta scientia elicitur. Hinc, si per tempus lege definitum quis bona alterius ut sua possedit, usucapit ea, quippe cum alter possessionis ejus gnarus esse præsumatur. Non itaq; pugnat usucapio cum Jure Naturæ, uti nonnulli sibi aliisq; persuasum eunt, sed positis omnibus ad eam requisitis svaviter cum illo conspirat. Neq; commentum eam Juris tantum Civilis esse, ceu itidem quidam opinionis errore statuunt, sed in genere Juri Gentium adscribendam, à Romanis verò renovatam, explicatam ac emendatam arbitramur. Appositè ergò Paulus *in l. 28. ff. de V. S.* in hanc sententiam loquitur, Alienare eum videri qui patitur usucap: Ex diuturno enim tempore illius scientia & voluntas colligenda venit.

XIV.

Vel (3.) Conjecturæ colliguntur ex qualitate rei gestæ. Cui enim actus publice gestus ignotus esse posset? Quin verò hujus prætendens ignorantiam planè non auditur *l. 11. §. 3. in fin. de institor. act. c. ult. X. qui matrim. accus. poss.* Simili modo & acta in eo loco, quem frequentare solitus sum, me scire est verosimile. Et hinc est, quòd proclama publicè emanatum omnes scire præsumantur *c. 1. de postul. pralat.* ac si id, quod publicatum in valvis Ecclesiæ, vel alio loco publico, ignorari allegetur, non excusat allegantem ignorantia, sed ei imputatur si non sciverit, quia hoc casu facillè præsumitur scientia, *clém. unic. in fin. ibiq. Gl. de concess. præbend.*

XV.

Hæc de scientia generatim delibasse sufficiant, cùm pressius magisq; luculente ex altera hujus dissertationis parte ejus natura patescet; cognito enim uno oppositorum, certum quoq; est alterù quodammodò manifestari ac intelligi. Transimus itaq; ad Ignorantiam quæ scientiæ opponitur. Verùm hic operæ nos facturos putamus pretium, si principio inquiramus, quonam genere sibi oppositionis hæc invicem dicantur opponi; quod (ut verbo nos expediamus) accuratè loquendo privativè fieri defendemus.

XVI.

Est enim Ignorantia (quæ & Ignoratio dicitur *l. 79. de leg. 2. l. 11. de divers. & temp. præscr. l. 55. de edil. edict. l. 5. C. de peric. tutor.*) nihil aliud, quàm carentia illius cognitionis, quæ quis aptus est habere. Et differt tum à Nescientia, tum ab Errore. Nam nescientia simplicem scientiæ negationem significat, cùm simpliciter quid nescitur, & nullum intellectus judicium intervenit, qualis est in mente captis, & in aliis hominibus ratione illarum rerum, quæ conditionis humanæ captum superant. Ab errore verò recedit in eo, quòd ignorantia sui naturà non ponat aliquem cognitionis actum: Error autem ponat judicium perversum de aliquo; atq; ita supponit aliquam notitiàm ejus circa quod erratur, nempe per famam, visum, vel opinionem. Unde non ineleganter *in c. quamvis. n. dist. 38.* dicitur, Erroris esse proprium pro vero approbare falsum. Verùm illud discrimen & Legibus & usu Dd. frequentissimè confunditur.

XVII.

Sicuti autem scientiæ certæ erant divisiones, ita ex jure oppositionis etiam ipsius ignorantie aliquæ sint oportet. Ordiri liceat ab illis, quas Thomas de Aquino aliiq; Philosophi suppeditant; has enim juri nostro applicare nihil omninò vetat, cùm in sequentibus vix illis poterimus termi-

terminis abstinere. Primò itaq; Ignorantia ratione sui & generalissimè spectata, vel est puræ privationis, vel pravæ dispositionis. Illa est, quam modò descripsimus. Hæc, cum quis judicat rem illud esse, quod revera non est, & propriè (ceu itidem dicere antevertimus) vocari solet Error: Hic enim describi non inepte potest hoc modo: Error est opinio falsa, quâ aliud pro alio putatur. Et committitur, ut obiter hoc addamus, vel in conventionis e. g. specie, vel in persona, cum qua contrahitur, vel deniq; in re, quæ in contractum deducitur. Prior casus accidit, quoties utrinq; non creditur, idem negotium geri, & nulla contrahitur obligatio *l. in omnib. 55. & l. in omnibus 57. de O. & A.* cujus exemplum accessere licet *ex l. 18. ff. de R. C.* ubi quasi mutuam quis pecuniam accepit, ab eo, qui donandi animo dedit, neq; mutuam, neq; donationem contractam esse asseritur. Quoties vero in persona erratur, toties contractus est nullus, e. g. si quis stipulanti Cajo decem se promittat daturum, quem Titium esse putat, neutri tenetur. Non huic, quia ei nulla promissio facta; Nec Cajo, quia in eum errans non consentit *l. 15. de Jurid. l. 2. pr. de Judic. arg. l. 9. pr. de hered. inst.* quò tamen error solius nominis nequaquam est referendus *arg. §. 29. Inst. de legat.* Idem quoq; dicendum in causa matrimonii *c. un. 29. q. 1.* At circa rem in contractum deductam error committitur, cum vel in ipso corpore est dissensus, & nulla est obligatio *l. 137. §. 1. de V. O.* vel saltem in materia, & emptio quidem est nulla *l. 9. §. 2. de contrab. emt.* sed stipulatio valet *l. 22. de V. O.* cujus rationem differentia addemus in *συμφιλολογία.*

XIX.

Secundò ratione subjecti dividitur in Ignorantiam Invincibilem & vincibilem. Ignorantia invincibilis est, quâ ea ignoramus, quæ scire vel non poteramus adhibita licet humanâ & morali diligentia, quæ à nobis exigitur, vel non tenebatur. Exempla peti possunt *ex l. argentum. 20. ff. commod. & l. 29. §. 2. mandat.* Vincibilis autem ignorantia, cujus principium in nobis, ac quæ adhibito diligenti & debito studio vinci à nobis & superari potest; & factum reddit culposum. Hæc rursus duplex est: Affectata & Crassa. Illa, quâ sponte quis ignorat id, quod scire tenetur; appellatur alio nomine voluntaria, quia non vult scire ob pravitatem mali desiderii, & ita ignorantia directè est (ut loquuntur;) volita. Unde nullo meretur modo dici justa & probabilis, sed potius dissoluta, & habetur non tantùm pro scientia, sed & pro nequitia. Crassa seu supina ignorantia est, quâ per culpam latam quis ignorat id, quod

com-

communiter omnes sui ordinis sciunt. Joh. Bapt. Cost. *d. tr. inspect. st.*
n. 9. & seqq. XIX.

Tertiò ratione actus dispescitur à Thom. 1. 2. q. 6. art. 8. in Conco-
mitantem, Consequentem & Antecedentem. Concomitans est quæ
actionem comitatur, ita ut non sit actionis causa, sed etiam si abfuisset,
nihilominus actio fuisset secuta; & inde non redditur involuntarium,
quia non causat aliquid, quod sit repugnans voluntati, sed facit non vo-
luntarium, non enim potest esse actu volitum quod ignoratum est. Si
itaq; quis petere se cervum existimans capitalem, quem alias interfice-
re animus fuit, feriat hostem, invitè egisse non dicitur, licet ignorans ege-
rit, cum illum & sine tali ignorantia occurrentem necasset. Conse-
quens est, quæ voluntatem consequitur, utpote quæ sit directè vel indire-
ctè volita; hinc est voluntas ejus causa: illa affectata, hæc crassa igno-
rantia dicitur. Antecedens deniq; vocatur, quæ præcedit omnem volun-
tatis consensum, & est causa volendi, quod aliàs quis non vellet, cau-
satq; involuntarium simpliciter, & nihil differt ab ea, quam supra indi-
gitavimus Invincibilem. XX.

Tandem succedit famosissima illa Ignorantiæ divisio, quæ ratione
objecti alia dicitur Juris, Facti altera. *t. t. ff. & C. de Jur. & fact. ign.* Illa
est, quando id quis nescit, quod est juris constituti, quod vel Naturæ, vel
Positivum, seu civile. Hæc autem est, quando quis id factum putat, quod
factum non est, vel factum non putat, quod factum est. Estq; vel facti
proprii *l. 7. ad SC. Vellej. arg. l. 22. de condiç. ind.* vel alieni *l. 3. b. t. l. fin.*
in fin. pro suo. præteriti tamen semper, vel præsentis, non etiam futuri:
quemadmodum enim ejus, quod est futurum, non datur determinata
scientia ac veritas, ita nec ejusdem ignorantia argui potest.

XXI.

Quibus præmissis tantò poterit accuratiùs effectus, qui pro hisce
distinctionibus varius est, dignosci. Regula itaq; prima sit: Ignoran-
tia Juris cuiq; nocet *l. regula. 9. ff. b. t.* sive, ut in *l. 4. eod.* expri-
mitur: Juris ignorantia non prodest; hæc enim eodem sensu
dicuntur, cum noceat quò in pœnam legis incurras; non prodest autem
ad eam pœnam evitandam. Donell. *libr. 1. comm. Jur. Civ. c. 21.* Et hoc
omniò verum est in jure Naturali; qui enim hoc ignorat, ignorat id,
quod omnes homines ex communi hominum natura sciunt, aut scire
omniò debent, *arg. pr. Inst. de L. N. G. & C. l. 1. § 3. ff. de J. & J.* adeoq;
nullam excusationem meretur; nec licet impunè id ignorare mulieri,
sed

sed ob incestum Jure Gentium prohibitum, æque ac mares puniuntur *l. 38. §. 2. ad L. Jul. de adult.* ita & mater liberis suis tutorem petere negligens à privatione successionis & usufructus non excusatur *§. pen. Inst. ad SC. Tertull. l. 2. §. 23. & seqq. ff. eod.* quippe cum ad hoc teneatur ex officio pietatis *l. 9. C. qui pet. tutor.* nec militibus patrocinatur *l. 1. pr. de obseq. parent. & patron. prest.* nec minori *r. r. C. si advers. delict.* nec rusticitati *l. 2. C. de jus voc.* Nemo enim, si modò integræ sit ac sanæ mentis, sibi impunitatem atrocium delictorum, ut adulterii, homicidii, furti, latrocinii &c. ex ignorantia ausit polliceri.

XXII.

Ignorantiam verò Juris positivi quòd attinet, distingui potest primò cum Bachov. *ad Wesf. h. n. 4. in fin. & ad Treutl. vol. 2. Diss. 4. tb. fin. lit. B.* inter Jus ipsum quod in tabulis seu LL. XII. tabb. publicè fuit propositum ac determinatum, & inter jus indefinitum & dubium consistens in disputationibus & opinionibus Jctorum, aut circa casum aliquem singularem sancitum; Hoc aliquo modo est tolerabile. Illud verò ignorare lata est culpa, nec ea propter impunè id ferre quis regulariter solet *l. 9. C. de LL. l. 12. C. de J. & E. l.* Quibus gemina tradit Aristot. 3. *Ethic. 1. de Legum conditoribus* differens: *καὶ τὰς ἀγνοῦντας π.* inquit, *τῶν ἐν τοῖς νόμοις, ἀ δὲ Ἰπείρωται, καὶ μὴ χαλεπὰ ἐστὶ, καὶ ἀλάστον.* Quod autem diximus, hujus Juris ignorantiam latam culpam esse, non ita crude sed cum grano salis est intelligendum; distinguimus enim tres casus: nam Jus publicè propositum continet vel (1.) ea, quæ omnes reip. subditi scire facillè possunt & debent, & hæc ignorantes latam, ut diximus, committunt culpam: Vel (2.) ea, quæ quidem sciri deberent, sed non nisi exactâ aut exactissimâ diligentia possunt cognosci, ex consilio peritorum. Et qui horum prætexunt ignorantiam, culpæ levis vel levissimæ rei censentur, quia consulendo peritos, diligentiores non sunt imitati. *fac. l. 2. §. ult. quæ ord. in poss. serv.* Vel (3.) ea, quæ respectu hujus vel illius hominis ratione suæ conditionis, adhibita diligentia, qualis ab ejusmodi homine in tali statu exigetur, cognosci nequeunt: hocq; casu nulla committitur culpa, sed talis ignorantia excusat.

X XIII.

Tandem etiam circa præsens *ἕψημα* est distinguendum inter personas. Hæc enim vel ratione professionis ac officii jus scire tenentur, & si id ignorant latam commisisse culpam non immeritò dicuntur. Ignorantia itaq; scrueri nequit, qui Jurisperitus cupit audire, licet sit minor 25. annis. Turpe enim esset homini causas oranti jus in quo versatur ignorare *l. 2. §. 43. de O. J. Vid. Gl. in l. professio. 6. C. de muner. patrum. lib. 10.* Hoc tamen ad istum casum

B

non

non videtur extendendum; quo circa jus facti singulari accommodandum
labitur, quod non raro ob circumstantiarum varietatem adeò involutum est,
ut etiã exercitatissimi in eo nonnunquam soleant cespitare. Qui verò ejus-
modi scientiam non profitentur, ab iis similis notitia requiri non potest.
Jung. l. 2. ff. quod quisq; jur. in al. stat. Exinde ergò luculentè patet, non sem-
per, ceu plerorumq; fert opinio, hujus juris ignorantiam culpæ esse latæ ad-
scribendam, sed sub distinctione & ipsius juris & personarum id demùm esse
asseverandum.

XXIV.

Præterea & ipsæ causæ ad dignoscendum Juris ignorantia effectum pro-
bè sunt ponderandæ. Certamus etenim, vel de captando lucro, vel damno
vitando. In compendiis ac lucris juris error cuiq; nocet l. 7. l. 4. h. junct. §. 6.
Inst. de usucap. l. 31. pr. l. 32. §. 1. ff. eod. l. 2. §. 15. pro emptor. l. 1. §. 1. cum seqq.
ff. h. t. l. 9. §. fin. eod. l. 3. c. d. t. quod adeò verum est, ut nec foeminis, licet
aliàs sexus imbecillitati aliquid soleat concedi, proficit, per l. 8. ff. h. t. d. l. 3. l. 11.
C. eod. Ubi observatu non erit indignum, nomine lucri, compendiorum
sive commodorum, illa etiã comprehendi, ad quæ quis jus habebat, ut ea
retineret aut efficeret suas seu ut ea planè acquireret, utendo facultate à jure
ad id sibi concessa.

XXV.

Sic heres qui Juris (secus si facti) ignorantia integra solvit Legata, ut ei
non remaneat quarta pars hereditatis, quam beneficio L. Falcidia detrahere
poterat, non potest repetere ex iis, salvam ut illam habeat. l. 9. C. ad L. Falc.
l. pen. §. ult. ff. h. t. Idem dicendum de herede onere restitutionis gravato,
quod scil. si juris errore totum quod jussus est restituere, citra Trebellianicæ
detractionem restituat, repetere eam non possit. Heredibus item certum
tempus ad deliberandum conceditur, quo declarent, an heredes esse velint,
eoq; effluxo ad alium ex successorio capite cum eadem facultate delibera-
di devolvitur hereditas: hic si ignoret, sibi hereditatem competere, cedit ei
tempus, quia in jure errat. Aliud autem juris servatur, si ignorantia facti
non adierit. Utriusq; exemplum proponit Paulus in l. 1. §. 3. b.

XXVI.

Interdum verò simplicitati succentricur, ut rusticis, quibus juris ignoran-
tia prodest certis casibus etiã in captando lucro, qualis est in l. 3. §. 22. ad SC.
Silan. Propter ætatem quoq; Minoribus 25. annis hæc ignorantia etiã in
compendiis nullatenus obest text. in l. 11. C. h. t. l. pen. pr. ff. eod. junct. l. 8. §. 6. de
minor. Multoq; minus dubitare licebit de impuberibus, qui sine tutore agen-
tes nihil posse scire, sed omnia ignorare intelliguntur l. fin. h. t. l. ult. rem.
pupill. salv. for.

XXVII.

Singulari deniq; favore militiae indulcetur militibus idem est privilegium,

UL

ut ignorantia juris licet sectentur lucrum iis proffit. Arma etenim magis quam jura scire existimandi sunt *l. fin. pr. C. de jur. delib.* Exempla de promi possunt ex *l. 9. §. 1. ff. b. t.* ubi scriptum est in specie ad eundem hereditatis; & *l. 1. C. eod.* ex qua patet, si milites per ignorantiam allegationes & exceptiones peremptorias omiserunt, quod possint adhuc eas, etiam post sententiam ante executionem, proponere, Et quamvis replicari possit, in hoc casu militem de damno certare vitando & reum esse, tamen idem privilegium competere, si ipse adversus alios agat, rectissime docet *Br. in l. 1. num. 11. C. de J. & F. l.* quia utrobique eadem est ignorantiae ratio. Notandum tamen haec omnia tantum vera esse in administratione rerum, non vero in delictis, ratione acquisitionis,

XXIIX.

In damno rursus distinguunt *Dd.* aliud scilicet esse rei amissae, aliud amittendae. In illo nocet ignorantia juris; exemplum desumunt ex indebito ita soluto, quippe cum ad hoc repetendum, non concedatur conditio *l. 9. C. ad L. Falc. l. 10. C. de J. & F. 7.* Non tamen cum iis facimus, qui illas *ll. sine ulla plane distinctione accipiunt*, ut *Donell. lib. 1. comm. Jur. Civ. cap. 21. & lib. 14. c. 14. & alii*; sed potius cum *Wes. in parat. ad tit. de condict. indeb. n. 9. ibi q. 2. ac b.* distinguendum putamus, an quod solutum est, prorsus sit indebitum, an vero habeat justam aliquam debendi causam. De his enim casibus tantum dicti sunt accipiendi textus, tunc enim aliquid subest, quod conditionem valet impedire. Priori vero casu concedendam aequitas svaedet, quippe cum juris ignorantia suam petenti ac de damno certanti vitando non incommode *l. 7. §. 8. h. l. 1. pr. ut in poss. legat.*

XXIX.

In damno vero rei amittendae juris ignorantia omnibus non (i. e. nulli) nocere, docet *Papinian. in l. 8. h. t.* Illustrari id potest (1.) Confessione, ex casu *leg. 5. C. h.* ubi quis confessus est, ex matris esse bonis (ut si ignorantia forte juris ductus putet donationem a patre in matrem uxorem factam tenuisse, quod exemplum suppeditat *Gloss. ibid.*) quod paternum erat; & respondent *Impp.* nihil eum confitendo egisse: nam si postea quidam veniant rem petitori, quasi mater quocumque tandem jure illam concessisset, se nihilo potest tueri secius, docendo, verè ad paterna eam pertinere bona: quod facile liquet, cum certi juris sit, tantas vires non habere confessionem extrajudicalem etiam a sciente factam, ut tam grave praedictum confitenti creet. Huc quoque *Dd.* referunt speciem *leg. 79. de leg. 2.* si quis fundum codicillis sibi relictum, putet adhuc esse heredis, sibi persuasum habens, non rectè relinqui codicillis, ac in super heredem in ejus fundi possessione petitione defendat, hoc tamen isthaec ignorantia non operabitur, ut eam detecta ad ejus

ab herede vindicationem non admittatur. Expediti namq; juris est, legati fundi dominium rectâ viâ ad legatarium transiisse *l. 80. d. 1.* quod ei hocce modo auferri haudquaquam potest *arg. l. 35. de A. R. D.*

XXX.

(2.) Possessione alienæ hereditatis. Notum quippe est ex *l. 25. §. 2. de hered. petit.* quòd qui sciens ad se non pertinere bona alterius inuasit sicq; pro possessore possidet, ex Scto pro rebus etiam deperditis teneat. Hoc autem fallit in eo, qui ignorantia juris putavit testamentum, ex quo occupavit bona, rectè factum, cum inutile erat, fortè quòd testator in alterius potestate fuerit, vel desit legitimus testium numerus, aut suus heres præteritus. Hic enim, quamvis in jure erret, non habetur tamen pro prædone, quia dolo caret *d. l. 25. §. 6. militatq;* pro eo nostra regula, nemini nocere juris ignorantiam in damno rei amittendæ, quod sanè fieret, si ad resarcienda damna quæ postea obveniunt adstringeretur.

XXXI.

(3.) Promissione rei indebitæ. Qui enim per ignorantiam indebitum promissit stipulanti, subtilitate juris Civilis quidem tenetur *§. 9. Inst. de action.* datur verò illi contra actorem exceptio doli, *l. 36. de V. O.* Quod non tantum obtinet si facti, verum etiam si juris promiserit ignorantia; puta, si liberatus pacto, non putet id sufficere ad liberationem inducendam, indeq; iterum promittat. Addi etiam potest casus *l. 1. pr. ff. ut in poss. legat.* ubi liberationem condici posse asseritur, si per ignorantiam juris, qui ad id non erat obligatus, satisdedit. *Don. 1. Comm. 21.*

XXXII.

Limitationem verò admittit in delictis, ad hæc enim Papiniani mentem porrigendam non esse, pridem doctis est observatum, utut verba, utpote generalia, id primâ fronte videantur suadere. *Jung. l. 11. ff. de his qui not. inf. arg. l. 51. §. 2. ad L. Aquil.* Sunt tamen personæ, quæ & hic excusationem merentur, utpote doli & inde delicti incapaces, quales sunt Infantes & Furiosi, adeò ut non tantum hoc verum sit in delictis Jure Civili prohibitis, sed etiam ipso Naturæ jure. Sicut enim circa leges Civiles eos excusamus, qui legum notitiam aut intellectum non habuerunt, ita & circa naturæ leges par est eos excusari, quibus rationis imbecillitas obstat. Id autem impedimentum hic adest, unde rectè Modestinus *l. 12. ff. ad L. Corn. de sicar.* asserit, alterum (infantem sc.) innocentiam consilii tueri, alterum (furiosum) fati infelicitatem excusare, nam quæ in eo culpa deprehenditur cum mentis sanæ non sit?

XXXIII.

Infanti comparari potestis, qui infantia est proximus, quoniam & hic

cx

ex ignorantia invincibili, adeoq; debili iudicio rationis aliquid commisisse
presumitur; non autem qui proximus est pubertati. Hic enim, cum doli cen-
seatur capax, ex delictis tenetur, quod exemplo furii *l. 23 ff. de furt. damni*
injuria dati l. 1. §. 2. ad L. Aquil. planum redditur Jung. l. 9 §. 2. de minor. &
l. 13 in fin. de SC. Silan. XXXIV.

Homines porro rudiores à gravioribus ex delicto poenis excusantur, si
ea quæ non juris Gentium, sed Juris Civilis sunt, ignorent *arg. l. ult. de Rit. nupt.*
Genus itaq; delicti patrocinium largitur iis, quibus leges solent esse faventio-
res, quales sunt, mulier, miles, minor &c. Hinc illa incestum jure Civili pro-
hibitum committens poenam effugit *l. 38 §. 2 ad L. Jul. de adult.* Desistens ab
accusatione non incidit in Sctum Turpillianum *l. 1. §. 10. in fin. ad SC. Tur-*
pill. ubi idem beneficium minori quoq; conceditur. Si per ignorantiam juris
sibi legatum alterius instinctu adscripserit, evitat poenam Legis Corneliae de
falsis *l. 15. §. pen. ad L. Corn. de fals.* XXXV.

Huc deniq; referri potest iste casus, quando Lex scientiam & dolum ex-
pressè exigit: tunc enim juris ignorantia peccans indistinctè excusatur, cum
dolo careat quamvis in jure erret *l. 25. §. 6. de hered. pet.* Quod ipsum innue-
re videtur Ulpianus *in l. 7. §. 4 de Jurisd.* quando edictum, quo in eum qui
dolo malo corruperit id, quod à Pratore Jurisdictionis perpetuæ causa pro-
positum est poena statuitur, ita interpretatur; Pratorem ea propter doli fe-
cisse mali mentionem, ne si per imperitiam aut rusticitatem quis fecerit, in-
de teneretur. XXXVI.

Et hæc de ignorantia Juris. Altera regula sit: Ignorantia facti non
obest: *l. 8. l. 9. pr. h. t.* Quod ut tanto intelligatur rectius, repetenda hæc est
distinctio, quam supra attulimus, inter factum proprium & alienum. In fa-
cto proprio regulariter nostra non procedit regula cum in eo non sit tolera-
bilis, nec cuiquam illius ignorantiam prætexere licet per *l. 7. ad SC. Vellej. tum,*
quod indecorum sit allegare ejus ignorantiam, quod ipse quis gessit; esset
enim homo stolidus ac prorsus deperditus, qui adeò reperiretur supinus ac
negligens, ut quid à se factum nesciat: Illa autem ignorantia non prodest,
quæ in supinum hominem cadit *l. 3. l. 6. h. l. 15. §. 1. de contrah. emt.* cum
quod absurdum jure merito habeatur, ibi ignorantia admittere, ubi actio est
spontanea ejusq; principium intrinsicum in ipso agente, sciente singula, in
quibus actio versatur, quæ omnia in facto proprio concurrunt. Cum ergo
hæc scientia interveniat, merito exulat ignorantia.

XXXVII.

Cæterum hæc doctrina paulò adhuc videtur repetenda alitèr, ne nos-
metipfos intricemus. Consulamus ergo paulisper Philosophorum libros un-

de accuratam haurire hujus rei scientiam erit integrum. Et cujus potius, quam ipsius Aristotelis? Is verò hocce argumentum tractans rectissimè distinguit, inter sc̄tiones quas facit ἀγνοῶν cūm in ipso est causa; & quæ fiunt δι' ἀγνοίας, cum ignorantia sola actionis est causa. *Vid. 3. Eth. Nicom. 1.* quæ distinctio in delictis & pœnis, si actio per ignorantiam patrata proponatur, apprimè venit attendenda. Exemplo res erit clarior. Sæpissimè incidit de ebrio quæstio, an & quatenus sit puniendus si e. g. in ebrietate commiserit homicidium: Anne dimittendus impune erit, utpote per ignorantiam delinquens? Ad quod optimè respondet Arist. illum non per ignorantiam agere, licet ignorans egerit. Quamvis enim adeò fuerit temulentus, ut postridie profus illum quid commiserit fugiat, tamen cūm ignorantia illius actionis causa non fuerit, sed ebrietas, propter ignorantiam non dicetur egisse, sed propter ebrietatem, ut ut ignorans, non sciens, egerit. Quinimò si & Legislatores eum puniunt, qui aliquid ignorat, quod in eo situm erat ut ne ignoraret Arist. 3 *Eth* 5. utiq; hoc modo peccans, omnis nequit esse pœnæ expertus. Idem autem videtur veniam quodammodo illi concedere *libr. 2. Polit. 6. ult. in fin.*

XXXIX.

Ad hujus quæstionis decisionem distinguendum putamus, Utrum ebrietas fuerit modica, quæ scientiam & voluntatem non excludit, & hæc à dolo ac propterea ab ordinaria L. Corneliæ pœna non excusat: An verò sit gravior & profundior, quæ voluntatis & rationis usum impedit; & tunc humanior communiorq; est sententia, pœnam esse mitigandam, quia dolus & protervis heic cesset. Unde ebrietate inductus quid faciens, impetu facere dicitur opponiturq; ei, qui ex proposito agit *l. 1. § 2. de pœn.* Inducit enim exilium mentis *c. 14. de vis. & honest. cler.* ac efficit, ut quæ sobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committamus *c. sanè 15. q. 1.* Ut autem isthæc mitigatio locum reperiat, necesse est eam, ut jam ante dicere occupavimus, primò esse magnam & immodicam, mentis ac rationis exilium inducens; tum etiam, ne fuerit studio captata, ad facinus tantò audacius perpetrandum, sed ut fortuitò, vires fortè vini ignorans se inebriarit; ut præterea delinquens nesciverit, se talia in ebrietate commissurum; si enim pravideret id potuit (cūm scil. jam ante idem sit expertus) nec occasionem peccandi aversatus est, excusationem haudquaquam merebitur: ut deniq; delinquentem postea admissi poenituerit, nec sobrius desuper, cœu re bene gestâ, gloriando illud ratum habuerit. Petr. Theod. *colleg. crim. disp. 10. thes. 4. lit. 1.* Hisce requisitis præsentibus, locū habet illud Scholasticorū: Per ebrietatē diminui peccatū sequens, sicuti diminuitur ratio voluntariū. XXXIX.

Quæ de ebrietate modò diximus, eadem commodè applicari possunt
actio-

actionibus, quæ sunt per passionem aliquam animi, in primis verò per iram seu iracundiam. Et constat affectum hunc aliquando levius turbare animum, nonnunquam gravius, ita ut omnino turbet liberum arbitrium, quo casu factum tanquam ab ignorante ac sine dolo commissum, utiq; ceu non voluntarium est excusandum. Quod enim calore iracundiæ sit, ex animi iudicio factum non censetur *l. 48. de R. I.* sed perturbatione animi concitati, *c. productior. 7. in fin. de penit. dist. 3.* ex qua iustum se facere putat iratus, cum sit difficillimum, asseverante ipso Imp. D. Pio. iustum dolorem temperare. *l. 38. § 3. ad L. Jul. de adult.* Ad stipulatur iterum legibus nostris Philosophus, quando *7. Eth. 6.* egregia similitudine iram festivis ministris comparat, qui prius, quàm omne quod dicitur audiverint, excurrunt, deinde officio defunt; ita & ira audire quidem rationem in aliquo videtur, non attentè tamen audire &c. Ut autem à dolo, ordinariaq; poenà propter iracundiæ calorem excusetur, quatuor conjunctim ad sint oportet. 1. ut talis ira fuerit, quæ delinquentem à mente alienaverit, hæc enim tanquam furor arma ministrat *Gail. 2. obs. no. n. 35.* 2. ut eidem iusta iræ causa data fuerit, utpote quod gravi injuriâ fuerit lacessitus; alioquin si cui bilis leviori quadam ex causa mota fuerit, ordinariam delicto præstitutam non evitabit poenam. *Constit. crim. Carolin. art. 137. ibi: der ein Todschlag aus Horn gethan &c. 3.* ut quis delictum irâ adhuc fervente, sicq; in continenti commiserit: si enim temporis quoddam intercesserit intervallum, non tam iracundiâ quàm ex proærefa deliquisse censetur. Deniq; ut facti poeniteat delinquentem, ne per assensum voluntatis concomitantem reddatur, voluntarium *arg. l. 48. de R. I.* Idem esto iudicium de Amore, cujus furore nihil est vehementius, quemq; cohibere perfectæ est Philosophiæ *Nov. 74. c. 4.*

XL.

Et ita tenendum in delictis. In causis civilibus regulariter facti proprii ignorantia est intolerabilis, per superius *th 36.* citatam *l. & rationes.* Notanter diximus *regulariter*: cum casus reperiantur, quibus limitari isthæc sententia ex æquitate queat. Nam si de damno agatur vitando, generalitatem suam perdit, quod patet ex *l. 22. pr. de condit. indeb.* ubi indebitum repetitur, quod supino aliquo rerum suarum errore vel incogitantia quis solvit. *Jung. l. 32. pr. & ibi Dd. d. 1.* Parili ratione patitur exceptionem propter humanæ memoriæ infirmitatem, si de factis admodum antiquis agatur *l. 44. de atq. poss.* quod Dd. pronunciant verum, nisi aut sit factum arduum vel grave *arg. c. 32. in fin. extr. de sentent. excomm.* aut alteri obligatorium. Non procedit etiam si factum sit involutum & obscurum sive intricatum, ut calculus rationum reddendarum *l. 47. §. 1. de pact. l. 1. de confess.* Item si tantâ varietate &

multi-

multitudine negotiorum ignorantiam allegans sit implicatus, facile ut alicujus oblivio obrepere in tantâ multitudine potuerit. Wefenb. *in par. ad hunc tit. n. 3.* Fallit etiam in actibus morientium seu qui in extremis laborant: Unde heredi in legato rei alienæ testatoris ignorantiam probare non est necessum, & nisi adversarius scientiam prober, heres non tenetur, quod traditur cum limitatione quadam *in l. 10. C. de legat. §. 4. Inst. eod. l. 67. §. 8. de Leg. 2.* Sunt præterea alij adhuc casus, quos Dd. hîc excipere amant, eosq; persequitur Jac. Menoch. *de præsumt. lib. 6. præsumt. 23. n. 42.*

XLI.

Contra verò, quæ circa alienum versatur factum ignorantia, tolerabilis regulariter est, ac excusat quosvis, in omnibus negotiis, tam in compendiis quam in damnis, atq; de hacce nostra regula *ex l. 8. & 9. pr. h. t. l. 4. eod. supra allata demùm intelligenda l. ult. in fin. pro suo.* Ratio habetur *in l. 2. h.* quòd ejus interpretatio plerumq; etiam prudentissimos fallat. Et hanc ob causam Gajus rectissimè tradit, eùm qui in alterius succedit locum justam habere ignorantia causam an id, quod peteretur, deberetur *l. 42. de R. I.* Sic heres depositarij, actione ex illo contractu descendente non tenetur, si rem depositam ignorans distraxerit *l. 1. §. fin. depos.* & heres Emphyteutæ intra biennium non solvens canonem jure suo non cadet, si ignoravit rem talem esse Emphyteuticam, eùm hocce casu moram committere non videatur *arg. l. 99. de R. J. Gail. 2. obs. 48. n. 4.* Simili ratione solvens debitum, jam per debitorem principale solutum, seu qui jam fuit liberatus per acceptilationem vel pactum de non petendo, repetit ab eo, si ignoranter solvit. Jura enim ignoscendum fidejussori putant, eùm principale solvisse haud tenebatur divinare, sed culpam in illum rejiciunt, qui notum debuit facere fidejussori, jam se solvisse, ne fortè creditor obrepat, & ignorantiam ejus circumveniat, & excutiat ei summam in quam fidejussit, ut loquitur Ulp. *in l. 29. §. 2. mandar.* Sic ignorantia sententiam contra se latam decendium appellationis non currit Dd. *in auth. bodie. C. de appell.* Alia hujus ignorantia exempla largiter suppeeditat *l. 1. §. 1. & seqq. h. t.* XLII.

Referimus huc difficilissimam mireq; vexatam controversiam: An si quis ignorans duxit ab alio compressam aut gravidam ex alio eam retinere cogatur, an vero hæc facti alieni ignorantia id operari queat, eam ut possit repudiare? In qua decidenda non abs re erit monere, tale quidem matrimonium non esse ab initio statim nullum, eùm virginitas qualitas matrimonij essentialis non sit dicenda, nec substantiam ejusdem afficiat, aliàs enim sciens quis meretricem ducere quoq; prohiberetur, quod falsum; sed maritus ejusmodi matrimonium ex hac causa rescindi petere potest, si illam multitra-
re noj

re nolit injuriam, cum sit qualitas intrinseca, adeoq; naturalis, & tacite semper subintellecta. Qui enim virgini fidem matrimonij dedit, non nisi in virginem consensit & castitatis conditionem tacite presupposuit. Jung. Deuter. c. 22. vers. 20. & 21. ubi tales personæ, quæ mentitæ sunt virginitatem, jubentur occidi. Dissentiunt multi, ijq; magni nominis Jcti. quod tamen veritati fraudi esse non debet. Decepti etenim sunt autoritate Pontificis *inc. un. in. fin. 29. q. 1.* qui hancce quæstionem negativè decidit, similitudine ductus ab agro emto, qui fertilis habitus est, cum postea reperitur sterilior, inde tamen non rescindi venditionem. Egregie! quasi inter agrum, & conjugem nihil planè sit discriminis.

XLIII.

Non minori alia huc spectans quæstio involuta est difficultati: Utrum ex capite ignorantia concedatur restitutio in integrum, si res legitime fuerit usucapta? Quod negare in puncto juris tutissimum est. Quamvis enim ab aliis valde ista urgeatur ratio, quòd domino nihil tum possit imputari, cujus nomine re sit suâ privandus, omni hîc negligentia cessante; tamen illam non adeò officere putamus, cum textus in *l. fin. ibi: nullâ scientia vel ignorantia &c. C. de præscript. long. temp.* nobis faveat; cui & aliæ addi merentur leges quibus modò omnis defensio contra præscriptionem denegatur, modò promittitur quies inconcussa, tum etiam possessores jubentur nullam molestiam aut inquietudinem formidare, & plenissima munitio ac securitas iis tribuitur. Praxis verò, ut non raro, ita & hîc à Legib. facit divortium, ac affirmativam communioem esse testis est Gail. 2. obs. 48. n. 14.

XLIV.

Dispiciendi nunc sunt illi casus, qui nisi ignorantia iis causam dedisset produxissent delictum: Eoq; referendæ sunt actiones, quas *th. 37. de æzvo: an fieri ex Aristot.* asseruimus. Hæ verò omnimodam largiuntur excusationem, quippe cum penitus sint invitæ, modò ignorantia invincibilis existat illarum causa, & tantum abest ut hîc dolus reperiat, ut ne culpæ quidem rei hocce modo homini mortem accelerantes queant argui, sed præter intentionem, casu saltim fortuito damnum inculisse dicendi sunt. Quæ verò inde proveniunt damna, delicta dicuntur tantum materialiter, non formaliter; & agens causa quidem eorum est Physica, sed non moralis. Si enim quis occidat hominem, dum venatur feram, invincibiliter ignorat, intra dumera illum latere, proindeq; nihil imputari potest agenti. Pari modo, si putator dejiciendo ex arbore cum clamore ramum quenquam lædit, L. Aquiliâ non tenetur *§. 5. Inst. ad L. Aquil.* cum divinare nequeat, læsum clamorem non curaturum, adeoq; invincibilis in eo est ignorantia, ibi locorum adhuc versari hominem. Quâ autem ratione sciri possit, an tali ignorantia seu casu, an vero vincibili sive culpâ læsio aliqua sit illata, docemur in Const. crim.

C

Caro-

Carolin. *art. 146.* ubi Imp. sub distinctione casuum id explicat. Aut enim quis operam dat rei illicitæ, quâ vitare debebat, aut licitæ, illo casu si alterum læserit, non est omnino expers culpæ, nec ignorantia illum excusat. Causa enim læsionis existit, dum non impedit aut intermittit, quod & impedire & omittere poterat ac tenebatur, parùm attento, quod læsionem illam non voverit. Hoc verò casu aut adhibet diligentiam debitam, aut non. Illius exempla quoad homicidium proponit Imp. *d. art. 146.* si tonsori in tonsina sua, adeoq; loco conveniente barbam cuiusdam radenti in manus inopinato casu aliquid fuerit iactatum, aut ita is percutiatur, ut gulam ei, quem radebat, novacula præcideret: Vel quis in ludo jaculatorio licitè sagittâ ad scopum jaculando transeuntem trajecerit *l. 9. §. ult. ad L. Aquil.* quod etiam spectat casus *ex §. 5. Inst. eod.* modo allatus. Et hi invincibili ignorantia excusantur, Vocaturq; tale homicidium Casuale. Quando verò quis operam navans rei licitæ, diligentiam non adhibet debitam, is pœnam homicidii ordinariam effugit, à culpæ tamen reatu non est immunis. Nam si tonsor in loco publico ac plateis officii munia perageret, quis eum culpæ non insimularet? Et putare arborem, factum planè licitum est, sed in dejiciendo ramo amputato, potest esse culpa, si scil. dejiciens non proclamavit *d. §. 5.* Indeq; proveniens homicidium Culposum dici consuevit. XLV.

At enim verò quemadmodum nulla regula tam est firma, quæ non patitur exceptionem, ita & nostræ limitationes quædam sunt addendæ. Facti itaq; alieni ignorantia non excusat in delictis, si lex quoq; puniat ignorantiam, ut in L. Aquilia, cum dejiciens ramum non proclamavit *§. 5. ad L. Aquil.* Item in actione dejecti & effusi, quæ datur adversus inhabitatorem *l. 1. pr. & §. 4. de hâ qui effud. vel dejec.* Sic fisco cedit domus illius, qui ignorat in ea falsam monetam cudi *l. 1. §. domus. C. de fals. monet.* In aliis etiam negotiis nonnunquam non excusat, ut si sit supina ignorantia & crassa. Uti enim hîc nec scrupulosa inquisitio & curiositas exigenda, ita nec supina & crassa ignorantia ferenda est *l. 6. l. 9. §. 2. §. 1.* Multò autem minus, si dolo quis procureret ignorantiam, excusabitur: Ita qui vel per se vel per alios facit, nec citatio ad se perveniat, pro legitime citato habetur. Non excusat etiam facti alieni ignorantia, si illud ratione officii scire tenetur & inquirere; Non enim potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit & pastor nescit *c. 10. Extr. de Reg. jur.* Inde ex communi Dd. Scholator pupilli actus scire præsumitur, cum eos ratione officii perquirere debeat. Quibus addi debent casus superius adducti, cum de scientia actum fuit præsumta. Plura tum de aliis, tum de modo probandi ignorantiam nunc dicenda restant, sed angu-

stia pagellarum exclusi telam hîc abrumpere cogimur,

μόνω τῶ θεῶ η δόξα.



sed ob incestum Jure Gentium prohibitum, *et*
S. 2. ad L. Jul. de adult. ita & mater liberis suis
privacione successione & usufructus non excusat
178. l. 2. §. 23. & seqq. ff. eod. quippe cum ad ho-
l. 9. C. qui pet. tutor. nec militibus patrocinatu
patron. prest. nec minori t. r. C. si advers. delict.
voc. Nemo enim, si modò integræ sit ac sanæ me-
ciam delictorum, ut adulterii, homicidii, furti-
tia ausit polliceri.

XXII.

Ignorantiam verò Juris positivi quòd attinet,
Bachov. ad Wesf. h. n. 4. in fin. & ad Treutl. vol. 1.
Jus ipsum quod in tabulis seu LL. XII. tabb. pu-
terminatum, & inter jus indefinitum & dubium
bus & opinionibus Jctorum, aut circa casum alio-
Hoc aliquo modo est tolerabile. Illud verò igno-
propter impunè id ferre quis regulariter solet l.
E. 1. Quibus gemina tradit Aristot. 3. Ethic. s. de
rens: καὶ τὰς ἀγνοῦνζας π, inquit, τῶν ἐν τοῖς ν
μὴ καλεπία ἐστ, καλάρζαν. Quod autem dixi-
nem latam culpam esse, non ita crude sed cum gr-
distinguimus enim tres casus: nam Jus publicè p-
ea, quæ omnes reip. subditi scire facillè possunt &
latam, ut diximus, committunt culpam: Vel (2.)
rent, sed non nisi exactà aut exactissimâ diligen-
filio peritorum. Et qui horum prætexunt ignor-
vissimæ rei censentur, quia consulendo peritos,
tati. fac. l. 2. §. ult. qui ord. in poss. serv. Vel (3.) e-
lius hominis ratione suæ conditionis, adhibita di-
homine in tali statu exigitur, cognosci nequeunt
situr culpa, sed talis ignorantia excusat.

XXIII.

Tandem etiam circa præsens *ζήτησις* est disti-
Hæ enim vel ratione professionis ac officii jus t-
rant latam commisisse culpam non immeritò di-
tueri nequit, qui Juris peritus cupit audire, licet sic
esset homini causas oranti jus in quo versatur igno-
Gl. in l. professio. 6. C. de muner. patrim. lib. 10.

niuntur l. 39.
 negligens à
 ad SC. Ter-
 ficio pietatis
 q. parent. &
 l. 2. C. de jus
 itatem atro-
 ex ignorantia

primò cum
 l. B. inter
 ositum ac de-
 disputationi-
 sancitum;
 culpa, nec ea
 C. de J. &
 oribus disse-
 ζήτησις, καὶ
 s ignorantio-
 elligendum
 tinet vel (1.)
 ignorantia
 m sciri debe-
 osci, ex con-
 levis velle-
 on sunt imi-
 hujus vel il-
 ab ejusmodi
 illa commit-

ter personas.
 & si id igno-
 rantia itaq; se
 Turpe enim
 de O. J. Vid.
 istum casum
 non

